cerdotes quotidiè in Canone Miſſæ orant Omnipotentem DEUM, ut intra Sanctorum ſuorum conſortium admittat eos *non Æſtimator meriti*, ſed veniæ Largitor. Per Chriſtum D. N. Et per annum in Officio B. V. ad Nonam: TIBI, inquiunt DEO, *placere de actibus noſtris non valemus* Capucini prætereà ante ſtudia literarum vigore conſtitutionum ſuarum ita orare conſueverunt: *Domine iſte* VILISSIMUS *ſervus tuus &* OMNI BONO INDIGNUS *vult ingredi ad videndum theſauros tuos; placeat tibi, ut ipſum* INDIGNISSIMUM *introducas, & des ſibi in his verbis & ſanctâ lectione tantùm te diligere, quantùm te cognoſcere; quia nolo te cognoſcere, niſi ut te diligam Domine Deus Creator meus. Amen.*

Eſtque apud eoſdem hæc ab antiquo uſitata poſt communes Fratrum labores oratio genu-flexa: *Domine* JESU *Chriſte, nihil ſumus, nihil poſſumus, nihil valemus, malè tibi ſervimus; ſervi inutiles ſumus, Domine* Jesu *Chriſte miſerere nobis.*

ad pag. 4. FALSUM 5. eſt, quòd Author Novenæ *merita ſua phariſaicè jactet*: non enim jactat ſe quicquam boni feciſſe, aut facere, aut facturum eſſe; ſed optat duntaxat & proponit totum diem bonis operibus impendere; mercedem verò ſperat *ex Dei*, ut loco à te cit. diſertè ait, *miſericordiâ* vel hîc vel in cœlo reddendam. Et nunquid docetis ipſi *in Apolog. Auguſt. Conf. de juſtificatione. in R. argum.* non valdè longè à fine: *Bona juſtificatorum opera VERE eſſe meritoria præmiorum corporalium & ſpiritualium, quæ redduntur tum in hâc vitâ, tum poſt hanc vitam?* quòdque merces illa NON GRATIS, *ſed pro operibus offeratur &* DEBEATUR; *pariat & gradus præmiorum, hi gradus,* inquit, *ſunt merces operum at & afflictionùm.*

Formul. Concordiæ Lipſiæ, 1580. p. 121. 122.

Hujus verò ſperatæ mercedis charitativam in alios translationem, ſi fortè ratam non habeat, ſaltem non condemnabit miſericors DEUS.

ad pag. 5. FALSUM eſt 6. quod ais: *ſaltim potiſſima quæ &* (Novenæ Anno 1675. editæ) *Capucini jam fecerunt noviſſimâ ſuâ defenſione communia ſibi* TANTUM *non* OMNIBUS. Cùm opuſculum meum ut in